

The Electronic *Manipulus florum*  
[www.manipulusflorum.com](http://www.manipulusflorum.com)

Ecclesia f  
cum fonte primo

Quid, inquit, Arturi nomine, qui in celi axem constitutus septem stellarum radiis fulget, nisi ecclesia uniuersalis exprimitur?

Arturus, inquit, semper uersatur et nunquam mergitur; sic ecclesia persecuciones tolerat sed sine defectu perdurat.

Gregorius libro IX. moralium super illud Iob: Qui facit Arturum.

Quid namque Arcturi nomine qui, in caeli axe constitutus, septem stellarum radiis fulget, nisi Ecclesia uniuersalis exprimitur quae in Ioannis Apocalypsi per septem ecclesias septemque candelabra figuratur?

Quae dum dona in se septiformis gratiae Spiritus continet, claritate summae uirtutis irradians quasi ab axe ueritatis lucet. Pensandum quoque est quod

Arcturus semper uersatur et numquam mergitur, quia sancta Ecclesia persecuciones iniquorum sine cessatione tolerat, sed tamen usque ad mundi terminum sine defectu perdurat.

Gregorius Magnus, *Moralia in Iob*, 9.11 (CCSL 143, M. Adriaen ed., p.465, ll.29-38).